

Petrus de Vinea

*Ep. III 24 (Multa sunt,
quae uobis et uestris...)*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Petrus de Vinea

*Ep. III 24 (Multa sunt,
quae uobis et uestris...)*

luglio 1249

Regi Franciae super eisdem.

1. Multa sunt, quae uobis et uestris libenter placere nos ammonent, dum multipliciter hactenus uos et uestros nobis placuisse recolimus, et placituros in antea firmiter arbitramur. 2. Sed ex hiis debitum tantummodo mutuae dilectionis assumimus, ut, a quibus nos amari prospicimus, eos amicabiliter diligamus. 3. Vnum uerumptamen ad hoc expresse nos excitat et quodammodo necessario nos inuitat: quod dudum L., illustrem regem Francorum, et alios filios uestros, quos purae mentis affectione diligimus, non sine prouidentiae uestrae consilio, quo salubriter regnum Franciae gubernatur, Terrae Sanctae negotium tam libenter quam utiliter conspiciamus assumpsisse. 4. Ad prestanda sibi super hoc munificentiae nostrae suffragia tanto libentius inuitamur, quanto per id publico bono fidei Christianae consulitur, quantoque negotium ipsum nos prae ceteris orbis terrae principibus quasi quadam specialitate sollicitat ac etiam super hoc nostrum specialiter interesse uersatur. 5. Vellemus etenim, teste Deo, ad prosecutionem tam sancti propositi personaliter nosmetipsos adducere, ut qualiter et quantum nos eiusdem negotii cura perangat, tantorum principum comitiua suffulti, personaliter monstrare possemus. 6. Sed concepta iam dudum, uel obstinata, quin potius papae nostri, durities, durus Christianae Sedis antistes, cui excidia tot et tanta uix displicent, dum eisdem uoluntarius se immiscet, prout uniuersalis haec notio publicat, et uestrae serenitatis industria, sicut pro firmo credimus, non ignorat, impedimenta continua nostris processibus obicit et expleri nostra desideria non permittit. 7. Vellemus nichilominus, dum personalia

non possumus adiuuamenta porrigere, rerum uictualium posse subsidio subuenire, nisi caristia uictualium, quae duobus iam preteritis annis in Regno nostro inualuit et presentem etiam non omisit, nostrae prouisionis ordinem, quem semper super hoc liberalitas nostra libenter exposuit, prepedisset. 8. Nec tamen propterea pati potuimus, quin, uestra et filiorum uestrorum dilectione commoti, tamque salubris negotii comodo persuasi, uellemus potius nobis ipsis et fidelibus nostris regnicolis in ipsorum uictualium erogatione deficere, quam predictis filiis uestris et aliis regni uestri fidelibus, qui per se uel nuntios suos per Regnum nostrum transitum habuerunt, in tam laudabili et felici peregrinatione deesse. 9. Nuper, etiam uestrorum interuentu precaminum, quae nolumus nec nouimus obaudire, A. comiti Pictauiensi, filio uestro, per... et..., nuntios suos, mille saumas frumenti et totidem ordeï de horreis nostris et sexaginta bonos dextrarios de liberalitatis nostrae munificentia duximus destinandos. 10. Concessa sibi nichilominus a maiestate nostra licentia, quae, ad opus eiusdem comitis, necessaria quaelibet in Regno nostro libere ualeat emere, prout suis et familiae suae usibus uiderit oportuna. 11. Ad haec profecto, quae diximus, quae uestra et filiorum uestrorum augmenta respiciunt, in quantum negotiorum et temporum qualitas patitur, nos in antea uotis ardentibus promptos et beniuolos offeremus.